

incustoditam, accepta idonea manu, vinclatum clauso ore in palatium traxere. Percunctanti Tyberio, quomodo Agrippa factus esset? respondisse fertur: ^a quomodo tu Cæsar. Ut ederet socios subigi non potuit. Nec Tyberius pœnam cius ^b palam ausus, in secreta palatij parte interfici iufsit, corpusque clam auferri. & quanquam multi è domo principis, equitesque ac senatores ^c sustentasse opibus, iuuisse consiliis dicerentur, ^d haud quæsitum. Fine anni arcus propter ædem Saturni, ob recepta signa cum Vario amissa, ductu Germanici, ^e auspicijs Tyberij, & ædes Fortis fortunæ Tyberim iuxta in hortis, quos Cæsar dictator populo Ro. legauerat, sacrarium genti Iuliæ, effigiesque diuino Augusto apud Bouillas dicantur. C. Cælio, L. Pomponio coss. Germanicus Cæsar ad vii. Cal. Iunias triumphauit de Cheruscis Chattisque & Angruaris, quæque aliae nationes usque ad Albim colunt: vecta spolia, capuui, simulacra monitum, fluminum, præliorum: bellumque, ^f quia confidere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. augebat intuentium visus ^g eximia ipsius species, currusque ^h quinque liberis onustus. ⁱ Sed suberat occulta formido reputantibus, haud prosperum in Druso patre eius fauorem vulgi, auunculum eiusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis intra iuuentam ereptum: breues & infastos pop. Rom. amores. Cæterum Ty-

O B S E R V A T I O N E S.

^a Quando regum, & principum excellens potentia per animorum consensum constat, à quibus is consensus obtineri potest, si utique legitime imperatur. ad hunc autem consensum cum sapientia malis, quam bonus arbitrus perueniat, nequaquam mirandum est, si percunctanti Tiberio seruum Agrippæ quomodo Agrippa factus esset, respondit, quomodo tu Cæsar; ac si dicat; tu quibus potuisti arribus ad principale fastigium eucclitus es: ecce mirum sit, si isthuc ipsum ego, quibus potui rationibus, tentau?

^b Is qui seditione bellum concinit, aut res nouas alia ratione molitus est, si in principis potestate venit, continuò extingui, sed non semper sub omnium oculis, debet, ne forte, illo vijo, si drosis audacia crescat, eoque erumpat, si inde maiores tumulatus excutentur.

^c Coniuratio nondum ad ulta flectitur, atque ad:ò extinguitur, autore eius oppresso. Cæterum licet multi, ac primarij Viri ead. in crimine sint contacti, si ea res palam non est, consulte faciet princeps si non anxie in eos inquireat; contentus eo, quod oppresso duce, coniuratio pariter evanuit.

^d Suscitamus opibus, iuuanmur consilio, simile preceptum est Senecæ, l. d. beneficijs, cap. 2. in fin. Alium inquit, re, aliud fide, aliud gratia, aliud consilio, aliud preceptis salutaribus adiuua.

^e Eins anspicciis bellum geri dicitur, cuius sumptibus & periculo geritur.

^f Quod nisi prohibitus esset, fecissim, id ita accipitur, ac si fecissim; nam unquamque rem non ad id, quod actum est, sed ad consilium diripi oportet, hinc fit, vt, is æque sit premio dignus, qui rem non fecit, ac si fecisset, si per ipsum haud stetit quominus conficeret.

^g Eximia species corporis non minimum decus addit principi.

^h Inter ceteras principis felicitates numerus liberorum meritò connumeratur.

ⁱ Is solet esse breuis, perniciosus, & infastus fauor, & amor vulgi, qui propter genus, ingentes opes, rerum gestarum magnitudinem, animum excelsum, singularēm felicitatem, principi in susptionem effectandi principatus venire possunt.

berius